

Bibliothèque numérique

medic@

**Baron d'Henouville, Théodore -
candidat / Baron, Hyacinthe-Théodore
- président. - An fracto Cranio semper
admovenda Terebra ?**


1742.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2329 n°79***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax08x0079



DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quintâ
Februarii, anno Domini M. DCC. XLII.

M. HYACINTO-THEODORO BARON, Filio,
Doctore Medico, Præsîde.

An fracto Cranio semper admovenda Terebra ?

I.



EREBRUM, nobile illud spiritûs animalis & vitæ promptuarium, cum loci sublimitate, cum substantiæ mollioris friabilitate, externis undique pateret insultibus, nisi ossæ veluti galeâ ipsum munisset Natura prudens. Sed ex ipso securitatis fonte manat periculorum uberrima scaturigo. Ipsa Calvariæ soliditas in Hominis detrimentum sæpè vertitur. Irruentium mole ac impetu graviter læduntur Integumenta, periculosè contunditur Pericranium, ideo quod subjecta obnitatur Calvaria. Effracto Cranio, prominentia quandoque ossium acumina membranas excruciant. Aliàs effusus per collisionem humor difficilius excernitur, aut contusæ Meninges commotumve Cerebrum Resolventium beneficiis minùs fruuntur, quoniam præcludit iter solidior pixidis ossæ substantia. Hinc percussio vehementer Capite, horrenda pullulat Symptomatum caterva, Homo concidit

A



2

exanimis, caligant Oculi, surdescent Aures, obmutescit Lingua, Sanguinem Auribus, Naribus, Oculis excernit; sequitur Nausea Bilisque Vomitus; mox scavit ut plurimum acutissima Febris; Caput dolet, imprimis quâ parte percussus est: vertigine corripitur æger, spirandi difficultate, Veterno, Stupore, Paralyfi, Convulsione, Delirio. Sic afflictis ægroti rebus, quodnam adhibendum auxilii genus? Cujusnam implorabis opem? Jam adsunt qui, compertâ in Cranio rimâ, Trepanum prædicant: jam terribilem instruunt operationis apparatus. At siste Manum. Humano Capiti ferrum immittere non licet, nisi de Operationis necessitate constiterit. Non semper celebranda Operatio, quæ nunquam expers periculi, aliquando inutilis est.

I I.

CORPORUM contudentium durior hebetudo graviorque moles periculosissimè caput afficiunt. Hæc, Cranium diffringendo, Meningibus intrudunt ossium fragmenta, spiculis suis exquisitissimi sensûs membranas crudeliter lacessitura. Est ubi tabula ossium exterior, spongioso Diploe innixa, impingenti resistit telo, dum interna, tenuior, nec pari adminiculo suffulta, dissilit. Sæpe ultra Cranium propagatur frangentis energia, & Cerebrum obvolventesque Membranae contunduntur. Sic disruptis commoti Cerebri aut duræ Matris lacerata vasis, intra Cranium effunditur humor, qui mole Cerebrum compri-mens, & acredine, quam morâ contrahit, Membranas irritans, dira suscitât symptomata. Porro si tactu visuve pateat ossa, sub ipso ictu depressa, Cerebrum comprimere Membranasque pungere; si auctis, vel non remittentibus Symptomatis, ex sapientis Medici judicio, effusus intra Cranium stagnet humor; si nec ossium fragmenta remove, nec ipsis remoris liceat depressas partes restituere, aut effusis liquoribus exitum concedere, haud morâ solers admoveatur manus. Nudetur Cranium, si vulnere omnino non, vel non satis nudatum fuerit. Mox Ossi admoveatur Terebra, quam undequaque æqualiter serrantem leniter prudenterque circumagat Chirurgus. Tum resectus Cranii orbiculus Elevatorio educitur, totiesque iterum applicatur Terebra, donec satis patens sit Chirurgus foramen. Hæc viâ, licebit illicò Ossis fragmenta, subjectis infesta Meningibus, eximere Volsellis, Forficibus excindere, Vecte elevare, Meningophylace adæquare, Cruorem Venis effusum exhaurire vel Saniem, lassis demùm Meningibus remedia commodius admove. Quod si, operatione peractâ, ex humore lividis Meningibus coercito, non remittant Symptomata, nihilque, osse terebrato, profluat, Scalpellî cuspide Membranas attingere ne dubites. Sic prudenter administrata operationis felix laudabitur eventus, aut si minùs prosperè cesserit, non criminabitur Operatio, cujus occasio fuerit Necessitas.

I I I.

UT variæ sunt Fracturarum Cranii differentia, sic varia illis decernenda curandi methodus. Non semper eadem est ictuum casuumque vehementia, non est in omnibus eadem Calvaria soliditas, nec semper est idem Fracturarum modus. Nunc exteriorem tantùm vel utramque Ossis tabulam capillaris Fissura dividit; modò evidentior est rima, licet nullis prominentibus aculeis aspera, & apprimè conniventibus Fracturae marginibus. Frangendo Cranio sæpe totus impenditur frangentis impetus, dum intacta manet Membranarum Vasorumque continuïtas. Sic læso mitius Capite, non te deterreat Symptomatum vehementia. Hæc ut ab effusis intra Cranium humoribus aut pungentibus ossiculis quan-

doque procedunt, sic etiam aliquando à solâ membranarum leviori Contusione ipsarumve Phlogosi, ducunt originem. Dura Meninx, Cranio firmiter undique adhærens, collisionis impetum persentiscit ipsa vellicaturque. Contudentis impetu, Carotidis externæ ramuli, Capitis integumenta perreptantes, fortiter comprimuntur: hinc Sanguis ipsis contentus, tum versûs capillares tubulos validè cogitur, tum versûs Carotidis truncum refluit impetuosius. Sic in omnibus Carotidis externæ furculis, majori mole & citiori motu actus Cruor, ruit quâ minor est resistentia, ruptisque repagulis, vel tumorem in parte remotâ suscitât, vel Naribus, Auribus, &c. profluit. Dura Matris Arteria, tum & Carotis interna, hujus quoque refluxûs participes, Sanguinem vehementius propulsum uberius excipiunt & dilatantur ampliùs, Hinc ingurgitantur inflammanturque Membranae: hinc intercurrentibus Arteriis medullaris comprimitur Cerebri substantia, eò magis quòd Phlogosi convulsæ Meninges, arctando Calvariæ sinus, Sanguini moram pariant in Cerebro. In Nervos etiam propagatur strictura & irritatio Meningum, quæ ipsis assiduæ comites involucria suppeditant. Sic imminuta, cohibita, perversa Spirituum distributione, tota cohibetur pervertiturque motuum animalium æconomia. Numquid hæc omnia Trepani necessitatem arguunt? Minimè. Imò Terebræ applicationem, quæ ex se nunquam expers est periculi, aliquando inutilem esse meritò affirmaveris.

I V.

IDEO Fracturæ Cranii admoveatur Terebra ut effusis & stagnantibus humoribus aperiatur iter, vel depressæ restituantur partes. Quæ Calvariæ Fracturam comitantur Symptomata Trepanum non semper exposcunt; sed operationem dehortantur, si paululùm remiserint. Compresse sub benigniore Fracturâ Cranio, dura Meninx, quæ ipsi firmiter alligatur, distrahitur, inflammatur, rumpuntur ipsius connexionis funiculi: sed quid distractâ? Quid à Cranio sejunctâ, aut inflammatâ durâ Meninge proderit Trepanum? Largioribus & repetitis Sanguinis missionibus, extremè tenui Victu, Resolventium cephalicorum applicatione, instituenda est humoris in Meningibus hærentis discussio. Sic, inquit Ruischius, * tam solers in Chirurgicis, quam perspicax in Anatomicis, non rarò felicissimè opem tulit verâ etiam Cranii Fracturâ laborantibus, quorum capitibus jam Scalpellum incisivum immincebat. Depletis Venæ sectione valis, in liberiores ipsorum alveum eructabunt capillaria sanguinem, quâ nimium turgent. Tenuis fomenti discutientis partes, intra Cranium admissæ, nimis hærentes aut Revulsionis imperio minùs obsequentes succos attenuabunt & solvent. Non timeas ne ex ruptis Calvariæ ossibus exudans humor acridinem concipiat aut descendat in Meninges. Roris istius stillatio, quæ in cæterorum ossium fracturis, ipsorum ferruminationi confert, fracto Cranio simile conferet emolumentum. Absit credas exiguam duræ Matris à Cranio divulsionem humoris intra Cranium effusioni ansam necessariò præbere; Periosteum, in simplici Artuum fracturâ ab osse sejunctum, rursûs cum eo facillè glutinatur sine effusionis metu: quidni & dura Mater, quæ Periostei vices gerit? At quæris undenam, ingruentibus Symptomatis, certò constabit nullum intra Cranium effundi liquorem, nullosque adesse pungentes ossiculos? Expecta paulisper. Videas num Remediorum plû remittant Symptomata. Pungentia ossium acumina, & effusus intra Cranium humor vulgaribus non cedunt præsidiiis. Num ex illorum applicatione mitescunt omnia? Humorem circulationis legibus subjeci, spiculorumque absentiam certò conjicies, & incœptam medicamentis absolves curationem.

* Observ.
Chirurg.
IX.

APAGE igitur eos, qui, fracto Cranio, ad Trepanum semper trepidi concurrerent. Ne dicant Terebræ applicationem non adeò reformidandam esse. Quid semper perforares Calvariæ incertus effusionis in Cranio, compressionisve? Non sic liceat experimenta per mortes agere. Crudelitatis aut ignorantia meritam incurreret labem, qui sine necessitate operationem aggredieretur, unde pro incertâ levaminis spe, certa venirent ægotanti pericula. Quid autem non timendum ex levioribus operantis Chirurghi peccatis? Si nempe, vel nimis, vel inæqualiter Terebram agitando, duram Meningem attigerit Serrâ: quid, si quâ parte applicatur Trepanum, duæ ossis tabulæ se se contingant, ut non rarò visum est? Quid si duræ Matriæ Arteria, quæ internam ossium superficiem perreptare solet, profundo includatur sinu, aut ossæ complectatur laminâ? Tunc enim ossis & arteriæ simul perficitur excisio, vel dum resecta ossis pars educitur vecte, inclusa quoque abripitur arteria. Num feliciter operatio peracta est? En ab aere circumfuso imminet non leve periculum. Nihilne involvit timoris diuturna duræ Meningis denudatio, ipsius Phlogosis hand infrequens causa? Nihilne affert discriminis Capiti foramen infligere, nonnisi post exfoliationem lentissimam occludendum? Uno verbo sic semper celebratâ operatione, sæpe decumberet in lecto per quinquaginta dies, non ex morbo, sed ex operatione ægotans, minimo in rebus Nonnaturalibus errore capite plectendus, qui convenienti remediorum usu intra paucos dies incolumis evasisset. Hæc igitur te doceant reformidare, tibi que sapientem incuriant metum. Admoveas Trepanum, sed nunquam admoveas inutiliter. Quæ jubet Prudentia ut Terebres, cum certa sunt effusionis compressionisque signa, hæc eadem postulat ut non omni Fracturæ Trepanum applies. Magnum Chirurgiæ principem auscultata Celsus, * qui fracto fissove Osse, experiri Remedia multò meliùs esse judicavit, quàm admoveere Ferramenta. Sic prudenter cunctando nonnunquam restituitur res, inutilisque declinatur Operatio, ægotanti plerumque luctuosa.

* Lib. VIII.
Cap. IV.

Ergo fracto Cranio non semper admovenda Terebra.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius-Cavolus de Jean.

M. Joannes de Dieft.

M. Thomas-Renatus Gafnier.

M. Franciscus-Felicitas Cochu,
Scholarum Professor designatus.

M. Josephus de Jussieu.

M. Philippus Davier de Bre-
ville, Doctoris Hispaniarum
Reginæ Medicus perpetuo
Ordinarius, & Chirurgiæ
Professor.

M. Ludovicus-Florentius Bel-
lor.

M. Henricus-Franciscus Bour-
delin, Scholarum Professor.

M. Guillelmus de Magny.

Proponebat Parisiis THEODORUS BARON D'HENOUVILLE, Parisinus,
Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1742. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.